



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs III. De vita nutritiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

propugnant: partes enim equi esse incompletas inquirunt, nihil aliud est, quam eas continuari, siue in vnum totum integrale coalescere posse: ergo, ubi eas continuari posse, eo quod incompletæ sint, asseritur, idem per se ipsa idem, & solis nominibus diuersum asseritur. Verum in primis breuiter dici potest, partes illas esse incompletas, easque continuari posse, tametsi sit idem re ipsa, ratione tamen nostra distingui, cum prius sit ratione nostra rem aliquam in se incompletam esse, quam per vñionem cum alia cõpleri posse; ideo que hoc secundum accidat, quia illud prius verum est: at hæc distinctio rationis satis superque est, ne idem per idem vitiose explicetur, vt in homine per animal rationale explicato conspicuum est. Deinde verius est, non esse idem re ipsa, partes equi, aliatve quasvunque res incompletas esse, & naturaliter continuari posse; cum caput humanum, & collum equinum verbi gratia partes incompletæ sint, naturaliter continuari nequeant. Ad postremum exemplum respondeo, vñionem essentialē in aliquibus quidem, non tamen in omnibus oppositas conditiones fortiri: alias, cum altera sit modus, & interdum substantia; altera nunquam modus, nunquamve substantia esse posset.

34. Arguunt secundo: vna, eadẽque animarationalis est simul intellectiua, sensitua, vegetatiua, & loco motiua; at non obitante hac operationum, & accidentium diuersitate anima rationalis diuersæ speciei à semetipsa non est: ergo, quamuis partes organice belluarum diuersas operationes, ac diuersa accidentia ab intrinseco, & per se sortiantur, non propterea diuersæ speciei esse censi debent. Respondeo: diuersitas operationum, & accidentium, tametsi propriè, & per se conueniat; non propterea distinctionem, ac proinde nec dissimilitudinem cum distinctione coniunctam semper arguit, vt exemplum nuper propositum conuincit: ceterum supposita distinctione adæquata duarum rerum in iis dissimilitudinem, & diuersitatem arguit, vt argumentum initio cap. præcedentis propositum suadet, & quod in præsentī opponitur, non dissuadet: ex quo fit, partes belluarum, supposita in eis distinctione formarum non posse non esse substantialiter dissimiles.

35. Arguunt tertio: materia cœlestis ab intrinseco & inamissibiliter formam cœlestem possidet, & tamen eam determinatè non exigit, sed vel eam, vel formam sublunarem; cum probabile sit, eam esse eiusdem speciei cum materia sublunari: igitur, tametsi caput equinum ab intrinseco, & inamissibiliter peculiare operationes, ac dispositiones possideat; non propterea eas determinatè postulat, sicut ad diuersitatem specificam ab aliis partibus oportet. Ad hoc argumentum, missis aliorum responsionibus, quas in præsentī impugnatè non vacat, breuiter respondeo: cum forma cœlestis, vt aduersarij supponunt, incorruptibilis sit, eius propria, per se, & inamissibilis possessio in ipsiusmet determinatam exigentiam refundi potest, quin necesse sit, vt materia cœlestis eam formam determinatè exigit, sed potius vt ab illa determinatè exigatur. Hæc autem ratio non militat in accidentibus partium dissimilium corporis animati, quæ proculdubio corruptibilia sunt.

36. Partes organicas etiam hominis substantiali-

ter dissimiles esse tenent, plerique eorum, quos supra pro ass. i. retulimus: Vnde arguunt huc in modum: caput humanum, & cor humanum diuersas operationes, ac dispositiones ab intrinseco, & inamissibiliter sibi vendicant: igitur substantialiter dissimilia, ac specie diuersa sunt. Verum respondeo: vt diuersitas dispositionum substantialem dissimilitudinem, ac diuersitatem specificam arguat, cadere debet super res distinctas, vt proximè insinuatum est: cum igitur caput humanum, & cor humanum quoad omnes vtriusque partes, partim numero, partim specie indistincta sint, diuersitas operationum, ac dispositionum nullam in vtroque membro substantialem dissimilitudinem, ac diuersitatem specificam arguere poterit. Hic animaduertendum ad extremum huius capitis est, partes belluarum, tametsi ex suppositione superius posita dici debeant substantialiter dissimiles, tamen absolute loquendo esse substantialiter similes, & homogeneas: ratio est, quia omnes informantur vna atque indiuisibili forma substantiali, non verò integraliter multiplici, & diuidua, vt constabit in Metaphysica: vnde quæ argumenta suadent, partes hominis vna, eadẽque forma substantiali animatas eo ipso esse substantialiter similes, eadem suadent, atque persuadent similitudinem substantialem inter partes belluarum.



TRACTATVS III.

De Vita nutritiua.

CAPVT PRIMVM.

Nutritionem propriè vitalem esse verius est.

CVM significatio vocum arbitraria sit, & ex imponentium libito dependeat, quoties ea in questionem adducitur, sicuti in præsentī, authoritatis potissimum momenta spectanda sunt: iis autem spectatis vsque adeo certum est, nutritionem propriè vitalem appellandam esse, vt absque magna nouitatis, ac temeritatis etiam inuidia negari nequeat. Suadet ergo primo Scriptura, nam epistola i. ad Corint. c. 5. habetur; quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur, & Ioan. 12. cap. nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, & Psalmo. 77. occidit in grandinem vineas eorum. Deinde suadet ex Patribus: nam in primis Augustinus libro 8. de ciuit. Dei cap. 6. inquit ibi: siue omnem vitam, vel quæ nutrit, & continet, qualis est in arboribus; vel quæ hæc habet, & sentit, qualis est in pecoribus, &c. Dionysius etiam cap. 6. de diuinis nominib. inquit, ibi: ipsi enim nihil est contrarium; ex ipsa enim viuificantur, & circumfloreant, & animalia omnia, & plantæ; & siue intellectualem dicat, siue rationalem, siue sensibilem, & augmentatiuam, siue qualemcunque vitam, aut vitæ principium, aut vitæ substantiam, ex ipsa viuunt, & viuificantur, quæ est super omnem vitam, & in ipsa secundum causas

causam vniformiter praeceperunt. Gregorius Magnus homil. 3. in Euangelia, inquit, ibi: ex favore ergo ad fructum reuiuiscit arbor. Demum, ut aliorum Parrum censu supercedam, Claudianus Mamertus lib. 1. de statu animae cap. 21. inquit, ibi: gratias ergo etsi non quantas debet, vel quantas potest, creatori suo totus homo referat, qui illi ineffabili largitate essentiam cum lapidibus, vitam seminalem, cum herbis, & arboribus, vitam sensualem, eandemque animalem cum pecudibus, vitam rationalem cum Angelis dedit.

2. Præterea suadetur auctoritate philosophica: siquidem Aristoteles non solum testimoniis supra tract. 1. cap. 2. adductis nutritionem vitalem esse profiteretur, verum etiam luculentissime 2. de anima cap. 4. in hac verba: fit etiam per animam & alteratio & accretio; sensus enim alteratio quaedam esse videtur, sentitque nihil, quod non habet animam: eadem est de accretione, decrementumque ratio: nihil enim incrementa naturaliter, decrementaue suscipit, quod non nutriatur: & nihil prorsus nutritur, quod vitæ particeps non sit. Aristotelem Thomistæ, Scotistæ, Nominales ac nostræ scholæ Doctores, omnesque Peripatetici sequuntur. Tandem id ipsa ratione suaderetur: quia ut tra. 1. cap. 2. & 3. explicatum manet, nutritio plantarum, & animalium habet aliquid speciale, quod nulli ali augmento conuenit, omni alio longe artificiosior, & perfectior est: cur igitur vitæ nomine, præ quouis alio augmento, insigniri non poterit,

CAPVT II.

Fit satis argumentis contrariis.

3. Enimvero antiquissimi Stoici nutritionem inter vitæ functiones minimè censent, plantarumque, quantumlibet nutrantur, viuere inficiantur: horum sententiam è tenebris, quibus tot sæculis sepulta fuit, in lucem reuocarunt aliqui Recentiores, quorum hæc sunt fundamenta. Si plantæ propriè viuere, haud secus ac animalia, & spiritalia viuunt, daretur utique ratio communis vniuersæ vitæ, quæ utrorumque vitam complecteretur: at eiusmodi ratio communis vniuersæ nulla datur, ut superius tract. 1. ostensum est. Secundo: quia cæli qui non viuunt, sunt causæ generatrices plantarum, ut vel ex eo constet, quod si desuper tegantur, & cælorum aspectus, influxusque ab iis arceantur, statim arescent, & interibunt: haud secus ac calor in absentia ignis perire solet: quemadmodum ergo ignis causæ caloris, sic cæli plantarum causæ censeri debent. Arguunt teritiū auctoritate sacræ Scripturæ, quæ sola cognoscitiua viuientium nomine complectitur: siquidem missis aliis testimoniis, 1. Genes. dicitur: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omni que volucris cæli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, ut habeant ad vescendum. Vnde sic argumentari licet: herba in prima mundi molitione data est à Deo in escam omni viuenti, siue cunctis, in quibus erat anima viuens: at non data est in escam, cibum vè plantis, ut ma-

nifestum est. Quarto & vltimo arguunt auctoritate Parrum: nam Augustinus lib. de spiritu, & anima cap. 9. ait ibi: sicut etiam virgulta, & herbas sine anima moueri, & incrementum habere videmus, & lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 16. ibi: nam & nobis nisi inesset etiam ille motus, neque crescerent nostra corpora, neque ungues, capillosque producerent; sed si hoc solum esset in nobis, sine sensu, motuque illo spontaneo non diceretur homo factus in animam viuam. Damascenus lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 6. nullus, inquit, celos ac sydera animata esse existimet, anima quippe, ac sensu carent: quasi animam, ac sensum, & carentiam vnius, ac carentiam alterius perinde esse censcat. Chrysostomus homil. 6. in cap. 1. Geneseos ibi: vide inquit, quomodo & terra iterum duplicem nobis affert fructum, & mandato Domini comministratur: tum quidem seminum edebat germina, nunc autem animata, alia quadrupedia, & reptilia pecora, & feras. Quibus verbis semina, quæ vegetantur ab animalibus tanquam inanima ab animatis discernit.

4. Verum hæc argumenta non vrgent. Ad primum hoc lib. 10. tract. 1. cap. 1. satisfactum est. Ad secundum supra lib. 4. tract. 7. de causa efficiendi creatæ, cum de concursu accidentium in substantiam ageremus. Ad tertium, & quartum argumentum responderi potest iis Scripturæ, ac Parrum testimoniis. animam plantis luculenter negari, non propterea tamen vitam iis negari: anima quippe, & vita synonymæ non sunt, ut vulgo existimatur, sed diuersum quid significant: illa videlicet solam facultatem cognoscitiuam, hæc vero facultatem, seu cognoscitiuam, seu etiam nutritiuam, aut loco motiuam. Hæc autem ratio discriminis facile suaderi potest: tum quia quorsum diceretur in principio Generis, aliqua à Deo facta, vel facienda esse in animam viuentem, nisi anima, & vita aliquid distinctum significarent: tum quia anima est abstractum huius concreti animalis: at animal non viuens utcumque, sed viuens sensibile significat, ut omnes fatentur: anima ergo vitam non quæcumque, sed sensibilem significat: tum demum quia id expressè docet præter alios Patres, quos referre non vacat, Mamertus ubi supra cap. 2. 1. quæro abs te, herbas, & arbuta utrumne neges viuere, an forsitan dicas, his ipsis viuentibus, ut viuant, animas inesse: sed animata si essent, motu proprio non carerent, quia sunt quæ mouentur motu non proprio; sentirent etiam vlnus inflatum: sed hæc talibus non inesse; vel de ossium sectione, & capillorum, atque unguum præcisione cognoscimus, quæ sine vilo sensu doloris abscondimus: est ergo etiam ibi vita, ubi non est anima. Hactenus ille: quanquam autem Philosophi vitam, animamque confundant, ut ex allegatis Aristotelis aliorumque testimoniis liquet: ceterum satis est, Scripturas, & Patres aliter plerumque loqui, ut eorum testimoniis satisfiat. Quod si mauis, dicito, vitam bifariam sumi posse, proprie nimirum, & propriissime: ut in simili de scientia in Dial.ctica lib. 2. tract. 3. cap. 2. ex communi Auctorum vlu philosophari sumus: vitam autem propriissime, non vero proprie, sumptam apud Patres, & Scripturas plantis denegari.

CAPVT III.

Quedam notatu digna de Vita nutritiua.

5. **N**Orandum primò de nutritione est, eam esse continuam, & non discretam, aut motulis interruptam: id quod supra ex professo ostendi li. 6. tract. 3. secundò falsam esse sententiam Philoponi apud Zimar. 1. de Anim. tex. 89. fol. 94. col. 1. lit. A. existimantis solam nutritionem esse vitalem. Inde namque fieret, nec animam rationalem in statu separationis, nec Angelum, nec Deum proprie viuere, at quod uiuant, & quidem valde perfectè, adeo est euidens, vi nihil supra. Tertio vitam nutritiuam à sensitiua separabilem esse in plantis: hasque, quod perinde est, nutrir, haud tamen sentire, vel appetere. Contrarium docuerunt olim Manichæi apud August. 1. de eorum morib. cap. 17. quos superiore sæculo sequuti sunt Cardan. li. 1. de subtilit. init. & Erasmi. Roterodamus, vt refert Scaliger. 1. de Plantis.

6. Quod tamen fallantur, absurdeque, ac sanè plantaliter sentiant, manifestissimum est. Primò à priori: quia corpora plantarum valde crassa, dura, atque terrestria sunt: ad sentiendum ergo, sunt prorsus inepta: quis enim non videat, ad sensum requiri molliorem aliquam, & subtilitatem; & sicut quo magis crescit vtraque, eo melius, ac viuidius sentitur, ita abique vtraque temperie aliqua nullo modo sentiri? Secundò à posteriori: quia nulla in iis sentiendi organa experimur, nulla doloris signa ab iis, quam tumuis lædantur, ferroque rumpantur, aut etiam in frustra concidantur, ex biberi, cernimus. Nisi verò adeo stultescat aliquis, vt putet non fabulam, sed veram historiam esse, quod de Phaetontis fororibus in populos conuersis, & tamen dolentibus, atque etiamnum flentibus canit Ouidius 2. Metamorphos. ibi.

7. [Quid faciat mater, nisi quottrahit impetus illa, Huc eat, atque illuc, & dum licet, oscula iugat: Non satis est: truncis auellere corpora tentat, Et tenesos manibus ramos abrupit: at inde Sanguinea manant, tanquam & vulnere, guttae. Parce precor mater, quæcunque est saucia, clamat: Parce precor: nostrum laceratur in arbore corpus Iamque vale: cortex in verba nouissima venit, Inde fluunt lacrimæ, stillata quæ sole rigescunt De ramis electa nouis, quæ lucidus annis Excipit, & nris mitit gestanda latinis.] Tertio confutatur eadem sententia, aut potius amentia auctoritate Patrum. Atque in primis ei apertissime refragatur Augustinus in lib. de quantitat. anim. cap. 33. vbi eam vocat impietatem rusticam, & errorem sacrilegum, magis ligneam opinionem, quam sint ipsæ arbores, quibus patrociniū prabet. Nec non sermon. 27. de verb. Apost. ibi: nobis viuere cum arboribus, & fructus commune est: nam vitis uiuit, cum viret; arefcit, cum moritur: sed vita ista non habet sensum. Et lib. de vera relig. cap. 5. ibi: non sit nobis cultus illius vite, qua dicuntur arbores viuere, quoniam nullus sensus in illa est. Accedunt Bernardus sermon. 81. in cantico. parum ab init. ibi: sunt namque viuientia, & horum genera duo, quæ sentiunt, & quæ non sentiunt.

Porro insensibilibus sensibilia preferuntur, &c. Et paulo inferius: est pecorum, est & arborum vita, sensu altera vigen; altera carens. Beda lib. 4. de element. Philosophiæ, ibi: Iterum cum omnis creatura corporea, vel spiritus sit, conueniens fuit vt homo ex corpore, & spiritu constaret, & cum viroque aliquam affinitatem haberet: huic enim cum corporibus vita carentibus commune existeret, cum herbis & arboribus viuere, cum brutis animalibus sentire, cum spiritibus discernere. Gregor. Nyssenus disput. de anim. & resurrex. ibi: Atque eorum, quæ uiuant, alia quidem in sensu uiuant, alia verò eius expertia sunt. Rursus sensu pradiorum alia quidem ratione pradiata, alia vero rationis expertia sunt. Quoniam ergo sensu pradiata vita absque materia consistere non possit, nisi vi sentiendi ei inhaereat: hac de causa homo postremo loco conditus esse traditur, vt omnem vitalem speciem, & eam, quæ in geminibus, & eam, quæ in brutis animalibus, in se complexus sit. Nam ali quidem, & augetur, atque crescere, ex vita plantarum & stirpium habet: licet enim tale quiddam etiam in illis videre, quippe cum & attrahatur nutrimentum per radices, & per fructus simul ac folia excernatur, & reiciatur: quod autem sensu gubernatur, à brutis & ratione carentibus habet. Ac denique Claudian. Mamert. cum vbi supra ad finem capitis præcedentis, tum etiam in epistola ad Sidon. Apollinar. Trium tamen sunt genera: hoc est, corpus, quod uiuit, & non sentit; corpus, quod uiuit, & sentit: corpus, quod nec uiuit, nec sentit, sed hoc genus corporis, quod nec uiuit, nec sentit quatuor elementa esse puto: terram, aquam, aërem, & ignem quæ principalia sunt, & simplicia: ex quibus omnia, quæ composita sunt, corpora: id est animalium viuientia, & sentientia, Arborum, fructicum, & herbarum viuientia, sed non sentientia, &c. Nec vero solum Ecclesiæ Patres: sed etiam communiter Philosophi cum Aristotele li. 1. de Plant. & lib. 5. de Generat. animal. cap. 1. sensum plantis negant: eius tamen & reliquorum verba breuitatis studio prætermitto.

8. Tandem quartò, quæ aduersarij adferunt in erroris sui confirmationem, friuola sunt, ac nullius momenti. Obiiciunt autem primò, mollius excipi à planta primum securis ictum, quam secundum: non alia de causa, nisi quia planta, ex quo sentit primum, refugit secundum, seque contrahit, & munit contra alteram securis impactionem. Secundò opponunt, plantis inesse amores, & odia: nisi enim insint, quorsum cucumer v. g. ab olea vicina se se auerit, contra verò ad aquam, si prope sit sponte sua totum se demittit. Aut cur alioqui palmæ femina in palmas mares prona feruntur, atque ad eas se se incuruant, cum interim quercus, & olea iuxta se satæ flectantur in contraria? Multa alia id genus apud Mizaldum catalogo sept. empirici de sympat. ac Matthiolum præfat. in Dioscor. Tertio opponunt, Aeschynomenum (quam non distingui ab ea, quam nunc vocamus herbam viuam, putat Clusius in notis ad lib. 3. Christophori Acosta de arom. exor. cap. 55.) folia sua contrahere & abscondere, si quis eam velit apprehendere: vt de ea refertur in generali historia plant. tum lib. 18. cap. 143. nec non similibus naturæ & conditionis esse aglaophitum arborem, teste Dioscoro apud Photium cod. 223. aliamque arborem pudicam ob id dici solitam, teste Scaligero exercit. 181. n. 28. quin etiam ad Memphim

phimaliam enasci arborem, quæ tangente homine languescit, & areret, manum verò retrahente, reuirescit, ut scribit Theophrast. lib. 4. histor. animal. cap. 3. quæ omnia videntur sensum saltem obscurum, & imperfectum in plantis arguere.


9. Ad primum tamen dicendum est, priorem securis istum mollius, ac facilius descendere, magisque efficacem esse, quam sequentes, non quod eius sensus, ac dolor plantam reddat cautiorem, eam ve contra damnum imminens acuat, ac veluti accendat, sed quod plantæ partes exteriores magis teneræ sint, minusque resistent, interiores vero è contrario sint magis duræ, nec ita penetrabiles, aut peruiæ, quamuis ambæ ex æquo sensu orani destituantur. Ad secundum dicendum est, plantas illas, quarum ibi mentio fit, vi solius sympathiæ, & antipathiæ, siue, quod eodem redit appetitus innati, fugæ vel desiderij, posse se loco tenus mouere, ac remouere ab aliis: haud secus ac lapis absque appetitu vilo elicit per innatum solum feritur ad centrum suum, & à loco supero, quanta potest celeritate, fugit, se seque deuoluit. Et quidem, si talium plantarum vulgariū affectus non essent metaphorici, & innati, sed elicit, & cum vero sensu, & cognitione coniuncti, cur aliquando non possint deponi aut certe temperari, ut recte disputat Scaliger exercit. 138. haud secus, ac belluæ assuefactione miscunt, & ferocitatem, aliosque affectus, aut omnino, aut magna ex parte deiciunt. Ad tertium responderi potest, & non improbabiler, sicut ad secundum. Probabilius tamen fortassis est, quod aiunt Nemes. lib. de hom. cap. 1. & noſter Raynaud. in disciplin. morali. dist. 3. q. 1. art. 2. num. 27. Alchynominem, & alias plantas, quæ in tertio illo argumento obiciuntur, quamuis appellari soleant plantæ, ob earum speciem quandam, & similitudinem, re tamen vere non esse plantas, sed plantanimalia siue propria animalia, & licet ad plantarum naturam quodam modo accedentia, quibusuis tamen plantis excellentiora.

10. Quartò denique animaduertendum est de vita nutritiva, eam ita separari à sensu in plantis, ut cum eo coniungatur in belluis. Contrarium docent aliqui apud P. Suarez lib. 1. de Anim. c. 5. num. 3. Quorum tamen sententiam merito pronuntiat Eximius Doctor intolerabilem, & grande paradoxum. Atque à principio quod aduersetur sacre paginæ constat ex eo Tobie cap. 11. *tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via: & quasi nuncijs adueniens blandimento sua cauda gaudet, nec non ex illo Isaia cap. 1. cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui.* Rursus Ecclesiæ Patres, ut ex multis eorum testimoniis superius allegatis patet, belluis sensum passim attribuant. Præterea, ut experientia testatur, sunt in illis organa sensuum externorum: cum ergo natura nihil frustra agat, necessum est ut exterius sentiant. Ac profecto ita eas sentire etiam perfectius interdum, quam nos, est manifestissimum: inde vulgaris ille versiculus:

*Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcelsit aranea tactu.*

1. Quod item in his reperiatur sensus internus, aperte constat & per anatomiam, siue incisionem, & à posteriori: nam, ut recte Seneca epist. 124. *mutum animal sensu comprehendit præsentia: præteritorum reminiscitur, cum id incidit, quo sensus*

admonetur: tamquam equus reminiscitur viæ, cum ad initium eius admotus est.



TRACTIV. & VLT.

De vita sensitiva.

CAPVT PRIMVM.

De sensu visuo.

SENSUS exterior visus haudquaquam est potentia aliqua realiter distincta ab anima, & materia animata, & in oculis sedem, ac domicilium habens, sed potius ab ipsa oculorum penitiori saltem substantia, eorumque materia, & forma omnino indistinguitur: vnde vbi constitit de syntaxi, & fabrica oculorum, quid sit etiam sensus visualis, constans, ac manifestum erit. Totum corpus oculi sex musculis, tunicis sex, tribus humoribus, duobus nervis, venulis, & arteriis innumeris, duabus carunculis, ac totidem glandulis, & copioso, ac abundanti adipe constituitur: quæ omnia hic sigillatim attingere, & quod eorum sit proprium visus sensiterium definire operæ præteritum erit. Musculi suapte natura instituti sunt, ut oculi quaecunque in partem mira volubilitate, & agilitate versent: quatuor sunt recti, eo quod oculum vel sursum, vel deorsum, vel ad dextram, vel ad sinistram recto tramite conuertant, duo vero obliqui obliquo, & quasi sinuato volumine oculum superius, aut inferius circumferunt in solis belluis, quas in terram natura depronauit, septimus est musculus nervum opticum circundans, oculumque firmans, ne deorsum exorbitet.

Tunica oculorum instituta sunt potissimum ad humores oculi, ne dissiluant, continendos: prima omnium sita appellatur coniunctiua, siue adnata, eo quod oculum vicinis partibus coherere faciat: appellatur candida, aut etiam album oculi, eo quod extrinsecus candida, & callosa sit: corona etiam dicitur, eo quod non totum oculum, sed pupillæ quasi hemisphærium, sicut funda lapidem contineat. Secunda tunica cornea appellatur, eo quod pelluciditate sua, qua lumen, & species ad crystalloidem trahit, nec non duritie sua, qua eiusdem humoris propugnaculum est, & extrinsecus irruentibus iniuriis obstitit: his inquam, duabus conditionibus cornu præteritum affabre politum, ac deraſum referat: totum oculum circundat: nullis venulis, nervis, aut arteriis obstruitur, sed potius absque earum ministerio ab vna sibi proxima alimenta mutuatur. Tertia tunica vnea appellatur, eo quod vne folliculum auulsæ pedunculo referat: totum oculum ambit, nisi quod antroſum peruia est rotundo: ac satis angusto foramine, quod pupillam, nigrum oculi, fenestram oculi nuncupant: hæc inter omnes tunicas sola variis picturata coloribus est, à quibus oculi modo cæsi, modo nigri, modo fului, alioque colore delibuti dicuntur. Quarta tunica dicitur aranea, eo quod aranearum telas tenuitate sua æmuletur: humorem crystallinum immediate in-

soluit,